

1960-05-20 - SS Ioannes XXIII – Littera ‘Peculiari Studio Pietatis’

LITTERAE APOSTOLICAE
PECULIARI STUDIO PIETATIS
BEATA MARIA VIRGO DE MONTE CARMELO PRAECIPUA PATRONA DIOECESIS PAPANTLENSIS
ELIGITUR.
IOANNES PP. XXIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Peculiari studio pietatis excoli perhibetur a Christifidelibus dioecesis Papantlensis Beata Maria Virgo de Monte Carmelo, cuius praeclara imago, in ipsa episcopali sede proposita, ad se convertit animos hominum et ad religionis officia accedit. Quod simulacrum ob singularem venerationem, qua Papantlenses in Carmelitidem Virginem feruntur, anno MDCCCCXXXVIII, auctoritate Pii PP. XII, Decessoris Nostri imm. mem., aureo diadema fuit redimitum. Fidelium igitur ac praesertim sacri ordinis administratorum vota Nobis significans, Venerabilis Frater Alfonsus Sanchez Tinoco, Episcopus Papantlensis, Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem, nomine illo insignem, snae dioecesis caelestem Patronam renuntiaremus. Quibus precibus libenter admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matnra deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem de Monte Carmelo totius Papantlensis dioecesis praecipuam apud Deum Patronam constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus dioeceseon Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite indicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si qllidqnam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Maii, anno MCMLX, Pontificatus Nostri secundo.

D. Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis